aut mittendis occupati, cogor me hoc fideicommisso, liberare alienâ manu: meam tibi tamen constantis amicitiæ tesseram, traditurus, si quid hodiè otij intercesserit, quo ab hac Prætoria abesse, et te convenire detur; Utrumque acciderit; tu vale, et profiscentem bonis votis comitare

Tuum.

C. H.

In Anchoris ad Dordrechtum
VII. Id: Maij. CIↃIↃCXL.

Bannio.

Vir Amplissime ac doctissime (285)

Quam vanâ suspicione dubitaveris imponere tibi Gallos destinasse, tandem comperis. seriò nimirum hoc agit omnium literarum artium atque artificum proxeneta Mersennius, ut collatis cautionibus tuis et Gallorum, animi auditorum arguant ~~quæ~~ utræ majorem in se impetum faciant. Quid ex theoriæ fundamentis ipse præstiteris, tute nosti: ut Boëssettius eosdem versiculos casu vel consuetudine expresserit, hic habes: subjunctis aliis merè tristibus ac luctuosis, ut, si libet, alterum hoc vestri periculum inter vos faciatis, nobilissimi Athletæ. Gallicum enim exemplar Manuscriptum, ne fucum rursus extimescas, jam nunc in potestate meâ est, unâ cum μινυρισμᾷ; cujus rei fatendum est mortales illos longè peritissimos esse, naturâ simul atque habitu. Vellem primus omnium artifex Varennius non te fefellisset. Expertus esses, quam volubili ac suavi severitate gutturi imperent, auribus omnium et exquisitissimæ doctorum attentioni, satisfaciant. Expectas tuâ de cautione quid senserim, ego verò magis expecto, ut me doceas ad quam amussim, quibus ad scientiam nativè factis vocabulis disserere me de omni modulatione deceat. Compendium, inquam, quod promiseras, avidè expecto, mox animi mei sensu congruis verbis ac sententiis et bonâ ita fide expositurus. Superest, ut mirabili puellæ Mariæ Schurmannæ exemplar horum omnium meo nomine et Mersenni transmittas, instructus amanuensi musico apprimè sedulo, atque eleganti. Iubet hoc reverendus Pater et non nihil causæ est, cur ad ipsam virginem scribere detrecto meâ manu. frustra id expertus aliquoties, postquam sibi nescio quem de viduitate meâ scrupulum injecit, ridiculum hercule, et ineptum; quod me suspicantem, cum non rescriberet, amici insuper cum risu monuere. Musicæ novos characteres nuper adeò à Mersenno mihi datos, ad eandem virginem, si placet, perferendos curabis. mihi nondum tanti fuere, ut exscribendos dederim. publici aliquando juris ista sub currente prælo fient. Vale Vir amice et memor vive

Maldeghem 26. Iuij 1640.

Tui
C. H.

Si quid rescribis, domi meæ, et soli cognatæ Catharinæ Zueriæ commendari tutò poterit.

Boxhornio

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 100r
http://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2422